Quelle: https://manuscripta.at/?ID=772
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

73

habeamus. Quales circa iuvenes debeant esse seniores.

Seniores iunioribus affectum paternum impendant et cum imperandi necessarium fuerit, non tumenti animositate et clamosis vocibus, sed fiducialiter tranquilla simplicitate et auctoritate bone vite ad peragendam communem utilitatem que fuerint oportuna iniungant. Qualiter se circa seniores iuvenes exhibere debeant.

Iuniores senioribus sincera subiectione obediant nec tumenti cervice in quocumque respondeant aut fastidienti animo et negligenti aure imperantibus obedire detractent, sed unanimiter et concorditer tam in spirituali opere quam in terreno labore omnes fideli intentione occurrant. Ut ab opere dei nullus nisi permissus discedat.

Nulli liceat absque prioris permissu ab opere dei discedere. Si quem causa manifeste compulerit oracione a priore sperata, et concessa discedat. nec bini aut terni. sed singillatim exeuntes oracione a priore sperata, ita ut qui sani sunt prius revertantur, qui vero infirmi ex permissu redeant ad cubile. Ut inicium versus in choro incipiatur ab uno. Ab uno

Inicium vero versuum psallentium chororum priores qui in eis sunt incipiant aut si eis adversatur infirmitas, incipiant quibus iusserit prior. Quibus incipientibus mox omnis si fieri potest in prima aut secunda sillaba pariter unanimiter et uno ore subiungant. ut non sit dissonantia cantantium que maxime ab inordinato inicio et quodammodo contentiosa varietate solet accidere.

Iuniores Ut iuniores pronuncient in choro [illegible]

et maxime qui adhuc psalmos discere meditantur, per choros ex ordine et sine negligentia dicentur, ita ut ab eo loco a quo adhuc minores ignorant, hi qui psalterium finierunt per ordinem sine indictando succedant. ut in omni tempore pro